

IOANNES FESSLERVS CANCELLARIVS VVIRTEN-  
bergicus.



Ioannes ille ex honesta familia natus, & in omnibus uirtutibus educatus fuit. Is cum prima litera cum fundamenta in patria percepisset, se se hinc inde ad uarias academias contulit, & artibus dicendi operam nauauit. Postea quoq; Legum studio diligenter incubuit, & in eo adeo profecit, ut omnium applausu Doctor Iuris crearetur. Erat is pietatis amantissimus, præterea rara prudentia præditus. Id cum Huldricus princeps Vuirtenbergicus cognouisset, hunc Ioannem ad se uocauit, atq; suum Cancellarium constituit. Eam uocationem Ioannes singulari industria peregit, & per multos annos optimè continuauit. Nam principis sui nomine non tantum res domi, uerùm etiam foris in comitijs Imperij magna diligentia expedit, & suo principi gratissimus extitit. Postea etiam 1547, cum Carolus Imperator uictor Huldrico principi iratus esset, Ioannes Vuirtebergicus legatus coram Cesare comparuit, & supplex factus, tandem suum principem certis conditionibus Cæsari reconciliauit. Itaq; factum ut Christopherus princeps, qui patri successit, hunc Ioannem suum quoq; Cancellarium esse iusserit, & eius honores multiplicarit. In ea uitæ conditione Fesslerus etiam num superest, et ueneranda cœnitie insignis agnoscitur, lo.  
Sleid, Anon.